

Christus vobis nihil proderit. Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ. Evacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini. A gratia excidistis. Nos enim spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus. Nam in Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur. Et in epistola ad Hebræos, (cap. 7.) de eadem re disputans, ait: Si ergo consummatio per Sacerdotium Leviticum erat (populus enim sub ipso lege accipit) quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech, alium surgens Sacerdotem, et non secundum Aaron dicit? Translatio enim Sacerdotio, necesse est, ut et legis translatio fiat. Et iterum: Reprobatio quidem fit precedentis mandati, propter infirmitatem eius, et inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum. Demum de hac re ab ipsis Apostolis in unum congregatis, in illo celeberrimo Hierosolymitano Concilio data est definitio: quoniam (ut Apostolica refert historia (Act. 15.) quidam descendentes de Judæa docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundum legem Moysi, non potestis salvari. Surrexerunt enim quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, & dicebant oportere circumcidi, & servare reliqua omnia quæ Moyses in lege præceperat. Ob quam doctrinam facta est non modica seditio, resistentibus huic assertioni Paulo, & Barnaba. Propter quod Apostoli, & seniores convenerunt Hierosolymam, ut de hac re desinirent. Habitaque matura deliberatione, protulerunt sententiam, quam per epistolam suam miserunt, his qui erant Antiochiæ, in hunc modum: *Visum est enim Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione: à quibus custodientes vos, bene agetis.* Hæc Concilium Apostolorum. Quis erit ergo, qui tam illustri Concilii definitioni repugnare audeat? Nullus certe, nisi demens, aut infidelis ille fuerit. Et certe si lege Evangelica data, oporteret adhuc servare legem veterem, contra eandem legem visus fuisset facere Deus, qui talem in Levitico condidit legem: (cap. 18.) *Sororem uxoris tuæ, in pelliculam ejus non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus, adhuc illa vivente.* Quæ quidem recte præcepta sunt, ne si forte aliquis, simul uxori & forori illius jungeretur, inter simul habitantes excitaretur zelus, unde contentio rixaque generata fuisset. Prius quidem synagogam sibi desponsaverat Deus: hujus foror est Ecclesia, quam etiam Deus, sibi conjungere optabat. Verum, ut nulla esset contentio inter eas occasio, noluit secundam superducere, vivente prima. Oportuit ergo synagogam tunc sepeliri, quando Deus Ecclesiam novam sponsam sibi desponsavit, ne inter sorores, simul habitantes emulatio esset, sicut olim Lia zelabatur Rachel. Nam cum ab illa perivisset Rachel, ut daret illi de mandragoris, quas filius ejus ex agro attulerat, respondit: (Genes. 19.) *Parum me tibi videtur, quod præripueris maritum mihi?* Quæ verba aperitissima sunt indicia urentis intrinsecus zeli. Hac enim de causa (ut testatur Apostolus Paulus (Galat. 4.) ejecta est Agar ancilla cum filio suo, quia videlicet filius ejus Ismael persequabatur Isaac filium uxoris Saræ, propter quod Sara se despici quebatur ab ancilla. Verum posset forte hæreticus in suæ hæresis defensionem nobis objicere illud, quod in Exodo (cap. 28.) habetur, ubi post descriptionem vestis Sacerdotialis, qua Aaron erat induendus, subdidit Dominus per Moysen dicens: *Legitimum sempiternum erit Aaron, &*

semini ejus post eum. Et in Levitico (cap. 16.) præcipiens modum hostiæ, quæ debebat offerri pro peccato, dicit: *Eritque vobis hoc legitimum sempiternum, ut orietis pro filiis Israel, & pro cunctis peccatis eorum sonet in vano.* Ex quibus duobus locis, forte hæreticus vellet colligere legem Moysi esse observandam in perpetuum. Sed non ita res se habet: quoniam non ideo vocatur legitimum sempiternum, quia semper esset daturum, sed quia ad vitam quodammodo disponebat æternam. Vel aliter, & magis sententia melius, ideo dicitur sempiternum, quia era figura testamenti æterni. Itaque dicitur sempiternum non in se, sed in eo cuius figuram gerebat. Et glossa interlinearis in Exodo, sic exponit illam vocem sempiternam, quia (inquit) res significat æternas.

Secunda hæresis est primæ prioris opposita, assertens legem veterem esse malam. Hanc hæresim multi scriptores tribuant Manichæo, tamquam primo illius patrono: qua in re certissime falluntur, quoniam & si Manichæus fuerit illam turatus, non tamen ille primus eam docuit. Nam ante illum plurimum per centum annos fuit Marcion ponticus à quo Marcionitæ hæretici dicti sunt. Et hic docuit legem veterem esse malam, & à malo principio procedentem, quemadmodum docuit postea Manichæus. Hic autem Marcion discipulus fuit eujusdam, alterius hæretici Cerdonis nomine, quem Cerdonem Marcion in hac dementia imitatus est. Primus ergo hujus erroris auctor, & princeps fuit hic Cerdon, quem Irenæus libro primo adversus hæreses, testatur venisse Romam sub Iginio Papa & Martyre. Augustinus in libro de hæresibus, cap. decimo octavo, dicit etiam Cajanus hæreticos hanc docuisse hæresim. Hos tamen Cajanus Irenæus, libro primo, adversus hæreses comprehendit sub Marcionitis, quoniam de Martionis erroribus ibidem disserens, dicit eum coluisse Cain, reliquosque omnes errores tribuit Marcioni, quos Augustinus tribuit Cajanis. Unde suspicio mihi oritur Cajanos hæreticos à Marcione processisse. At cum Marcion, ut diximus, à Cerdone fuerit edoctus, oportet, ut huic Cerdoni præsentis hæresis principatum & magistrum tribuamus. Hujus autem assertionis perfidiam falsitas convincitur, ex Pauli testimonio in epistola ad Romanos, (cap. 7.) dicens: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit: sed peccatum non cognovi nisi per legem.* Cum multa Paulus de lege differens, ex quibus aliquis forte suspicari posset illum legem culpasse: ipsemet sibi objicit, quod vidit alium sibi objecturum. Dixerat enim prius passionem peccatorum esse per legem. Dixerat etiam nos esse solutos à lege mortis, in qua detinebamur. Dixerat etiam legem subintrasse, ut abundaret delictum. Quæ Pauli verba ansam suspitionis infirmis præbebant, Paulum in ea fuisse sententia, ut damnare voleret legem. Ad hanc igitur suspitionem tollendam Paulus sibi ipsi objicit, quod infirmis objicere sibi posset, dicens: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit: sed peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.* (Exod. 20.) Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. (Deut. 5.) Quibus verbis Apostolus docet legem non esse malam, sed bonam, quamvis illa non fuerit sufficiens ad salutem sine gratia. Quapropter dicit legem non esse ad hoc datam, ut peccatum in homine efficeret, sed ut ostenderet, & revelaret hominibus illud, quod eis ignotum erat, esse nec peccatum, an non. Multa enim erant, quæ etsi peccata erant, nescie-

iebantur tamen esse peccata, aut nesciebantur esse adeo gravia, & tam atrociter puniendæ, nisi lex docuisset. Hoc ergo fecit lex, ut doceret hominem quid esset peccatum. Ex his multis unum producit Apostolus in exemplum. *Nam concupiscentiam* (inquit) *nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces:* hoc est, nesciebam concupiscentiam esse malum aliquod, donec audivi eam prohiberi per legem. Verum ne suspiceris hujus mali causam esse legem, non dixit: *Concupiscentiam non habebam, nisi per legem:* sed ait: *Concupiscentiam nesciebam.* Neque ait: *Peccatum non feci nisi per legem:* sed ait: *Peccatum non cognovi nisi per legem.* Ut clare intelligas, legem non ministrasse peccatum, sed peccati cognitionem. Est adhuc aliud in lege, quod ea data statim utitur & sollicitatur desiderio earum rerum, quæ per legem prohibita sunt. Et hoc est, quod B. Apostolus postea subjungit, dicens: *Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Lex enim ad hoc data est, ut homo qui libertate sua abutens, per vitia singula ruebatur in præceptis, fræno legis coherberetur, ne ita improvidus in præcipitia labatur. At quia talis est nostra carnalis natura, ut ardentius desideret prohibita, quam si non prohiberentur: ideo dicit Paulus sumptam esse occasionem peccati ex prohibitione legis. Nam (ut quidam ait) Nitimur in ventum semper, cupimusque negata. Similiter & diabolus videns legem esse homini datam in auxilium, ut per eam tamquam per frænum homines coherberentur à peccatis, tunc ille magis ad peccatum hominem sollicitat, & vehementius tentat, ut illi verat legem in nocumentum, quæ fuerat data, ut aliquod præfaret emolumentum. Unde patet quomodo occasione per mandatum accepta, fecit in nobis omnem concupiscentiam. Minor enim concupiscentia erat, quando ante legem securi peccabamus. Major erat, quando solam nostram movebat libidinem. Omnis est, quando cognita lege, illam transgredi nec timemus nec veremur. Verum hoc malum non ex lege, sed ex nostra provenit malitia, quæ medicinam convertit in venenum: quoniam cum ex lege proficere debuissimus, inde pejores efficiamur, appetentes quod lege prohibitum est. Lex enim non cogit ad peccatum, sed nos ea peccandi occasionem accipimus, quamvis talem occasionem lex ipsa non det. Ideo Apostolus non dixit: *Occasione autem data, sed dixit: Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Ut clare intelligas à nostra provenire malitia, & non ex lege, cum lege data contra eandem legem facere desideramus. Hæc ergo & alia cum Paulus de lege docuisset, quibus ostendit legem non esse malam, postea subdit laudes legis, dicens: (Rom. 7.) *Itaque lex sancta quidem, & mandatum sanctum & justum & bonum.* In prioribus verbis Apostolus defendit legem à crimine, in his vero debitis laudibus eam extollit. Crimen objectum fuit per hæc verba: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Defensio criminis fuit in hoc verbo: Absit.* Nunc ergo Apostolus non fuit contentus eam à crimine defendisse, nisi etiam illam laudaret, ideo subdit: *Itaque lex sancta quidem, & mandatum sanctum, & justum, & bonum.* Per legem prohibitiones intelligit, per mandatum vero præcepta: & utramque sanctum esse dicit. Præterea in priore ad Timotheum epistola cap. 1. iterum ait: *Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitime utatur, sciens hoc, quia lex iusto non est posita, sed injustis & non subditis.* Quod ait iusto, non esse postquam legem, idem est quod alibi dixerat, legem videlicet esse positam propter transgressores. Hoc autem sic accipien-

dum est, quia (ut diximus) lex data est tamquam frænum quoddam ad cohibendum homines à peccato. Cum ergo quis naturaliter ea quæ legis sunt, facit, & ipse sibi est lex, seipsum à peccato arcens, hic non habet opus lege, sed est tamquam equus bene domitus, & sessori obediens, qui ut bene dirigatur nullo indiget fræno. Lex propter transgressores posita est, ut per illam à transgressionem arceatur. Qui autem seclusa lege paratus est facere quæ lex præceptura esset, hic non habet opus lege. Verum etsi iustus illa non indiget, sancta tamen est lex per quam mali cohibentur à peccatis, & urgentur ad emendationem commissorum. Et hoc est quod ait Apostolus: *Bona est lex, si quis ea legitime utatur.* Hoc est, si faciat prout intendit ipsa lex, id est, si per illam perveniat ad gratiam justificantem. Legitime enim utitur legi, qui intelligens quare sit data, per ejus comminationem confugit ad gratiam liberantem: & ideo bona est lex, quia plurimum prodest homini etiam malo, dum per ejus comminationem perducit illum ad gratiam. Per mandatum enim gravius delinquit, qui per idem mandatum scit quam grave malum sit illud quod committit. Et hoc est quod in epistola ad Romanos cap. 7. dixerat: *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit: sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem, ut fiat supra modum peccatum peccatum per mandatum.* Ac si diceret: *Mandatum non mihi exitit causa mortis, sed ego mihi mortem intuli, qui peccando commisi ea quæ digna sunt morte.* Rursum, in epistola ad Galatas cap. 3. Apostolus ait: *Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificemur.* Lex ergo ductrix mortem fuit. Nam idem est pædagogus Græce, quod puerorum ductor Latine. Si ergo lex fuit noster pædagogus, videamus quo nos ducit & constat ex Pauli verbis, quod lex duxit nos ad fidem Christi, ut per illam iustificemur. Si enim ait: *Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificemur.* Si ergo fides Christi est bona, non est possibile quin lex verus, quæ ad illam duxit, fuerit bona. Non potest esse malus pædagogus, qui bene pueros instruit. Nec potest esse malus ductor, qui ad optatum & præstitutum terminum perducit. Demum ipse veritatis magister & Salvator noster legem verbo & opere commendat. Nam & ejus præcepta servavit circumcisus in templo oblatus, agnum paschalem cum discipulis comedens. Aliis etiam servandam præcepit. Nam leproso mandato præcepit, ut juxta legem Moysi ostenderet se sacerdoti. (Matth. 8.) Et prædicans ipsemet sæpenumero testimonia ex lege & Prophetis citabit. Quod si mala fuisset lex, non tantum honoris illi tribuisset Christus, ut illius testimonio in prædicatione uteretur, sed etiam honoris omnium hominum.

Tertia hæresis est, quæ dicit omnem hominem in lege sua bene viventem posse salvari, sive Judæus, ille sit, sive Sarracenus, sive Paganus. Hujus hæresis patronum nullum hucusque inveni, sed ex relatione aliorum scio illi non defuisse tutorem. Nam Joannes de Turre cremata libro primo de summa Ecclesiæ, capite vigesimo primo dicit fuisse hæreticos, dicentes quemque hominem in sua lege posse salvari, si illam bene servaverit, non tamen aperuit quis fuerit primus illius hæresis auctor, aut quis umquam fuerit illius patronus. Hæc hæresis aperte vincitur per id quod ait Paulus in ea quæ est ad Hebræos epistola cap. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.*

non fiant, ita nec talia sunt, ut merito de illis quis consultare debeat. Operosum esset valde, nimisque prolixum, reliquos omnes Prophetas citare, & ex omnibus veteris testamenti libris testimonia producere: quoniam est hunc laborem sumere voluissim, certe necessarium foret modum promissæ brevitatis excedere. Ideo ad novum testamentum accedamus. Christus Salvator noster apud Matthæum, (cap. 23.) ait: *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluit?* Ecce Deo volente homines nolunt. Ergo arbitrium hominis adeo liberum est, ut à Dei voluntate non cogatur, & per consequens multo minus cogatur ab ejus præscientia. Et apud Lucam, (cap. 9.) idem Salvator ait: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Cum ait: *si quis vult*, nostram innuit libertatem, quibus subesse posse, & non velle cum nobis visum fuerit. Nam si nulla esset libertas, non erat opus sub conditione loqui. Nullus est enim adeo inspiens, ut sic diceret de igne: Si quis ignis calet, non amittet calorem. Cum enim sit necessarium omnem ignem callere, superflua est illa conditio apposta, quia illa conditionis nota innuit rem aliter evenire posse. Et Joannes Evangelista apertum satis pro hac re profert testimonium, (cap. 1.) dicens: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Hæc autem potestas non solis justis data est: quoniam hi cum iusti sunt, jam in filiorum numerum redacti sunt: quare non erat opus eis nova potestate, qua fierent filii Dei, cum jam essent. Peccatoribus ergo hæc potestas est collata, quoniam si juxta vires suas se ad gratiam suscipiendam præparaverint, Deus non subtrahet se ab illis, quinimo dabit illis gratiam, per quam in filiorum adoptionem recipiantur. Sic enim Augustinus tractatu 93. super Joannem illa beati Joannis verba exponit. *Audiamus (inquit) Evangelistam dicentem: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, ne omnino existimemus in nostra potestate, non esse quod credimus. Verumtamen in utroque beneficia illius cognoscamus. Nam & agenda sunt gratiæ, quia data est potestas: & orandum ne succumbat infirmitas.* Hæc Augustinus. Et Hylarius 1. de Trinitate motus Joannis testimonio, dicit quod esse filios Dei, opus sit voluntatis, non necessitatis: quia proposito universis Dei manere, non per naturam gignentium adferunt ea filio, sed voluntas præmium consequitur. Deinde verba illa, quæ Apostolica historia refert Petrum Apostolum dixisse Ananiam, qui fraudaverat de pretio agri venditi, apertissime ostendunt arbitrii humani libertatem. Sic enim ad Ananiam Petrus loquitur: (Act. 5.) *Anania, cur tentavit Satanæ cor tuum mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate? Quid est dicere, venundatum in tua erat potestate? Hoc est, etiam postquam vendideras, potestatem habebas non adferendi pretium, & ponendi ante pedes Apostolorum, qua potestate si usus fuisset Ananias, non eum, aut punisset, aut reprehendisset Petrus: verum quia habens hanc potestatem, simulavit se nolle ea uti, sed finxit se velle totum pretium agri offerre. Apostolis pro communi vita, ab Apostolo reprehensus, & tandem morte punitus est. Ex hoc ergo convincitur non omnia necessario evenire, liberumque esse hominis arbitrium, quoniam Ananias de pretio agri subtrahens, aliter faciendi potestatem habuit. Sed jam ad Paulum accedamus, à*

quo plurima possumus capere testimonia. Nam in prioribus epistola ad Corinthios, (cap. 7.) sic ait: *Qui statuit in corde firmus non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc judicavit in corde suo servare Virginitatem suam, bene facit.* Adverte quod ait, potestatem habens suæ voluntatis. Paulus tribuit aperte potestatem nostræ voluntati, & impudentes heretici, non verentur illam tollere? Et in eadem epistola, iterum ait: *Abundantius omnibus laboravi, non ego, sed gratia Dei mecum.* Non dixit, gratia Dei per me: sed, gratia Dei mecum. Et rursum: *Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. Dei enim adiutores sumus.* Ex quo convincitur nostrum arbitrium aliquod operari, alioquin labor non diceretur noster. Et ne quis putaret, prout fecit Pelagius, totum debere ascribi nostro arbitrio, addidit: *Dei enim adiutores sumus.* Itaque hoc testimonio proferuntur Pelagius, & Lutherus. Et in posteriore epistola ad Corinthios, (cap. 9.) exhortans ad elemosynas faciendas, ait: *Unusquisque prout destituit in corde suo non ex tristitia, aut ex necessitate. Milarem enim datorem diligit Deus.* Si nulla est humani arbitrii libertas, non est possibile, quin semper ex necessitate fiat quicquid facit. Et ad Philimonem scribens, (cap. 1.) ait: *Sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.* Ecce quam clare Paulus distinguit voluntarium à necessario, unum alteri opponens. Vereantur ergo Vviclephista, Hulsita, Lutherani, & cæteri heretici, dicentes omnia necessitate absoluta evenire, & nullam esse humani arbitrii libertatem. Et beatus Petrus instruens presbyteros, quo pacto debeant curam habere populi sibi commissi, ait: (1. Pet. 5.) *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontaneæ, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque ut dominantes cleris, sed formosissimi gregis.* Vide qualiter etiam Petrus distinguit, & separat spontaneum, & voluntarium à coactione. Et in Apocalypsi Joannis (cap. 2.) de Jezabel, quæ seducit servos Dei, & illos docet fornicari, dicit Deus: *Et dedit illi tempus, ut penitentiam ageret, & non vult penitere à fornicatione sua.* Si omnia de necessitate absoluta eveniunt, & nulla est humani arbitrii libertas, frustra dedit Deus Jezabel tempus ad penitentiam, si penitere non poterat. Nam cum postea dicat, quod illa penitere non voluit à fornicatione, juxta istorum hereticorum sententiam convincitur, quod illa penitere non potuit. Et si non potuit, mirum est quod Deus dederit illi tempus ad illud faciendum, quod facere fuit impossibile. Post ista omnia sacra scripturæ testimonia, quo res sit apertior, operæpretium est ostendere, hanc fuisse omnium factorum vitiorum sententiam. Verum ne lectorem nimia prolixitate gravem, aut limites brevitatis promissæ transgrediar, pauca in præsentiarum producā, ea videlicet quæ sunt: magis abstracta, & quorum auctores non facile omnibus patent. Reliqua autem velut indice ostendam loca unde capere possit, qui ea habere desiderat. Beatus Irenæus sæpissime humani arbitrii libertatem docet, sed specialem de hac re disputationem facit, libro quarto, adversus hæreses, in cuius libri capite septuagesimo primo, hæc verba habentur: *Aliud autem quod ait: Quoties volui congregare filios tuos, & noluit, veterem legem libertatis hominis manifestavit: quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut & suam animam, ad utendum scientia Dei voluntarie, & non coactum à Deo. Vis enim à Deo non fit: sed bona sententia adest illi semper.* Et

prop-

propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus, posuit autem in homine potestatem electionis, quem admodum, & in Angelis. Hæc Irenæus. Et sequenti capite, videlicet septuagesimo secundo, multa de libero arbitrio disserit. Et Tertullianus libro secundo adversus Marcionem eidem subscribit sententiæ, dicens: *Nec boni, nec mali merces jure penfaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisse inventus, non voluntate. In hoc & lex constituta est, non excludens, sed probans libertatem de obsequio sponte præstando, vel transgressione sponte committenda, ita in utrumque exitum libertas patuit arbitrii.* Hæc Tertullianus. Beatus Cyprianus in quadam epistola ad Cornelium Papam, quæ est tercia libri primi epistolarum eius, sic ait: *Ne præpositum servum deferri à quibusdam miretur, aliquis, quando ipsum Dominum magnalia, & mirabilia summa facientem, & virtutes factorum suorum Dei patris testimonio comprobantem, discipuli sui reliquerint, & tamen ille non increpavit recedentes, aut graviter comminatus est, sed magis conversus ad Apostolos, suos dixit: Numquid & vos vultis ire? Servans, scilicet legem, qua homo libertati sua relicta, & in arbitrio proprio constitutus, sibi metipso, vel mortem appetit, vel salutem.* Hæc Cyprianus. Beatus Hieronymus in epistola ad Hebidiam, eandem docet sententiam, dicens: *Deus autem æquali cunctos sorte genuit, & dedit arbitrii libertatem, ut faciat unum, neque, quod vult, sive bonum, sive malum. In tantum autem dedit omnibus potestatem, ut vox impia dispartit contra creatorem suum, & causas voluntatis illius perforaretur.* Et in altera epistola ad Damasum Papam, sic ait: *Libertum sic constitum arbitrium, ut dicamus nos semper Dei indigere auxilio, & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum vitare non posse, quam illos qui cum Joviniano afferunt hominem non posse peccare. Uterque enim tollit arbitrii libertatem. Nos vero dicimus hominem semper peccare, & non peccare posse, ut semper nos liberi confiteamur esse arbitrii.* Hæc usque Hieronymus. Et beatus Basilus in quadam opusculo, in quo probat, quod Deus non sit auctor malorum, sic ait: *Hinc merito alia cogitatio, quæstioque de diabolo nascitur: unde diabolus, si non ex Deo mala? Quid igitur dicemus? Satis facilis quidem responsio. Eadem omnino ratio hujus fuerit interrogatio, quam & de hominis iniquitate supra commemoravimus. Unde quæso iniquus homo? Ex ipsius libera voluntate. Unde de malis diabolus? Ex eadem penitus causa. Habet enim, & ipse liberam in agendo vitam, & insitam optandi potestatem, aut Deum sequi, aut ab eo removere, &c.* Hæc Basilus. Qui uno contextu de hominis, & Angeli arbitrio disserens, utrumque dicit esse liberum. Et frater hujus Gregorius uno integro libello pro libero arbitrio pugnat, quem & de libero arbitrio inscripsit. Et beatus Cyrillus libro tertio contra Julianum apostatam, circa principium eidem favet sententiæ, dicens: *Volutaria enim operandi facultate conveniebat rationali creaturæ insigniti, & electionis liberæ declarari fructum, in bonis operibus dexteritatem.* Et libro sexto ejusdem operis prope finem libri, iterum ait: *Valde autem puerile est, quod dicit non potuisse eum amicorum suorum proposita mutare. Oblitus enim mihi videtur, tametsi sæpius audierit, quod homo sit sui juris, voluntarie vadens ad quodcumque sibi pla-*

Tom. I.

cuert: ita bene habere gloriam universorum opificis, ut & qui bene operari voluerit, laudandi sint: & qui diversam inierint viam, vituperandi sunt ab omnibus. Hæc tenet Cyrillus. Et Isichius libro 1. commentariorum super Leviticum, idem sentit: Exponens enim illud Levitici: *Vesculam vero gutturis & plumas projiciet*, &c. sic ait: *Admirabilis est legalium verborum subtilitas, non solum quia differentias conversationum describit, sed etiam quemadmodum quasdam conversationes secundum legem, quasdam vero super legem significat. Secundum legem enim sunt boum & ovium oblationes, licet spontaneæ dicuntur. Secundum legem quare? Quia est offerre munus in potestatem offerentis dedit nimis recte (liberi quippe arbitrii Deus hominem constituit) tamen quale offeratur, non jam voluntatis est, ne forte mala offerantur.* Hæc Isichius. Et Joannes Damascenus libro secundo de fide orthodoxa, capite vigesimo quinto eandem assertionem docet, ita dicens: *Relinquitur igitur, hominem ipsum agentem & facientem, principium esse priorum operum & potestate arbitrioque liberum. Sin autem nullus principium actionis est homo, superflue id habet ut consulet. Nam ad quid utitur consilio, si nullus sit actionis Dominus? Omne enim consilium alicujus actionis gratia est. Arqui optimum & honorabilissimum eorum, quæ in homine sunt, asserere superfluum, absurdissimum profecto fuerit. Si igitur consulat, actionis gratia consulat. Nam consilium omne actionis gratia, & propter actionem.* Hæc beatus Damascenus. Beatus Chrysostomus, homilia sexagesima super Matthæum elegantissime, ut solet, hanc docet sententiam, dicens: *Nam si malignitates à seipsis non sunt, noli tuos servos castigare, nec uxorem si peccat increpa, nec liberos verbera, nec amicos incausa, nec offendentibus inimicis offensus sis. Nam hi omnes non, si sponte deliquerint, non punitione, sed miseratione digni sunt. Non possum (inquiens) ita philosophari. Certe si non illorum culpa, quicquam factum confiteris, sed quadam alia necessitate incumbente, non poteris, non ita philosophari. Nam quando servus aegritudine oppressus iussa non fecerit, non modo non criminaris, verum etiam valde commiserere. Quare tu ipse testimonium perhibes non nihil ab ipso fieri. Et pau- cis interjectis, postea subdit: *Verum inde quoque orationem istorum obruere facile possumus (nam undique veritatis assuunt adminicula) si eos interrogavimus, quam ob rem nunquam servos criminantur, si facie formosi non sunt, si non proceri statura, si non quasi volucres ineun- do, cæteraque hujusmodi: quia videlicet natura hæc, non voluntate conceditur: immunitis esse ipse ejus culpæ, quam sibi jam natura innoxit, nec ullus umquam huic orationi contradicit. Cum igitur accusas, tunc ostendis profecto non à natura, sed à voluntate mala quippiam processisse. Nam si quæ minime culpam, ea naturæ delicta esse, aut saltem non voluntate, testamur: patet ea solum culpæ, quæ voluntate committuntur. Noli ergo perverfas in medium ratiocinationes inferre, nec sophismata, & orationis contextum telis aranearum viliorum.* Hæc tenet Chrysostomus. Qui sic docet, ut etiam adversarium convincat. Hæc ergo testimonia citata sufficiant. Quod si curiosus lector plura videre desideret, tunc illi ostendemus auctores, à quibus illa capere possit. Ambrosius libro primo de vocatione Gentium, capite tertio, & libro primo de Jacob, & vita beata, capite tertio,*

Gegg

Au-



Augustinus tot locis hanc sententiam docet, & ubique adeo aperte, ut nesciam quem ex illis possim præferre. In libro de vera religione, capite decimoquarto. Et in tertio libro Hypognosticon, quasi per totum librum. Et contra Fortunatum Manichæum, disputatione secunda prope-initium. Et contra Cresconium Grammaticum libro secundo, capite quinquagesimo primo. Denique opus elegans scriptum de libero arbitrio, tribus partitum libris. Lactantius libro secundo, divinorum institutionum, capite nono. Joannes Casianus in libro de Collationibus patrum, collatione tertia, capite duodecimo, & collatione septima, capite octavo. Leo Papa sermone decimosexto de passione. Prosuper Aquitanicus librum de libero arbitrio, adversus celsitudinem addidit, in quo sic asserit nos egere gratia Dei, ut tamen liberum nostrum arbitrium asserat. Theophilactus sœpissime hoc docet, præcipue tamen super Lucam exponens parabolam illam de homine habente duos filios, quorum unus prodigus petiit a patre portionem substantiæ suæ. Beatus Bernardus sæpe, specialiter tamen in libro de gratia, & libero arbitrio. Beatus Anselmus super epistolam Pauli, exponens illud secundæ ad Timotheum: (2. 1.) *Cognovit Dominus qui sunt ejus*, &c. Scripsit etiam speciale tractatum De libero arbitrio, & alium De gratia, & libero arbitrio. Ecce vides tantam testimonia multitudinem pro assertione liberi arbitrii. Nunc quæro te lector, cui potius credendum putas, tot clarissimis viris fœderate perinde, ac doctrina illustribus, aut uni Luthero, aut Joanni Viclepho, vel horum parenti Petro Abailardo? Ego illorum illustrium virorum cuilibet plus tribuo; quam mille Viclephis, aut Lutheris. Et certe etiam si nullum scripturæ sacræ testimonium adesset, nullusque sanctorum Doctorum nos de hac re docuisset, natura ipsa nos docet humanum arbitrium esse liberum: quoniam ea liberatæ seclusa, perit omnis providentia, perit omnis consultatio, frustra sunt leges, immerito bonis præmium & malis poena deputantur.

Pejor certe esset hominis conditio, quam cujuslibet bestie, immo quam lapidis, & cujuslibet stipitis. Nam his rebus nemo imputat peccatum, aut vituperium aliquod, eo quod necessario, & à natura faciunt, quicquid faciunt. Homini vero, qui juxta istorum hereticorum sententiam, cum peccat, necessario peccat, rependitur pro peccato suo, non solum vituperium, & poena temporalis, sed æterna damnatio, si peccatum non fuerit illi dimissum. Præterea si hæc hæreticorum assertio vera esset, jam non esset dicendus Deus pius & misericors, sed crudelis tyrannus. Nonne iniquus, & crudelis tyrannus merito diceretur, qui præordinet, ut subditi sui debiles, & infirmi, cum hostibus multo illis fortioribus dimicent, & vincantur, & ob id victos postea increpet, & supplicium ab illis exigat? Quis est autem adeo impius, ut hæc audeat Deo impingere? Ego enim cum Propheta cantabo: (Ps. 118.) *Justus es Domine, & rectum judicium tuum, & omnes viæ tuæ veritas*. Mentuntur ergo isti impii hæretici, vituperantes naturam humanam, & eam usque ad bestias, & cætera animantia dejicientes, & divinam bonitatem blasphemantes, qui peccata nostra non in nostram voluntatem, sed in divinam prædestinationem referant. Denique hæc hæresis est per apertam Ecclesiæ definitionem damnata. Nam Concilium Arausicanum capite 13. suorum decretorum, ait: Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptisimi non potest reparari. Quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Unde ipsa veritas dicit: (Joann. 8.) *Si vis filius liberaverit, tunc vere liberi eritis*. Hæc Concilium Arau-

sicanum. In quibus verbis id positissimum annotandum est, quod Concilium non dixit, arbitrium hominis per peccatum fuisse omnino sublatum: sed tantum dixit, esse infirmatum, & postea per gratiam baptisimi posse reparari. At quod infirmatum est, aliquam potentiam, quamvis non integram, habet. Per gratiam autem baptisimi reparatum habet integram ad bonum potestatem, juxta illud quod Paulus ait: (Philip. 4.) *Omnia possunt in eo, qui me confortat*. Sed multo copiosius, & apertius de hac re definit Concilium Tridentinum, sub Paulo tertio celebratum, quod in sessione sexta, tres pro hac re addidit Canones, videlicet quartum, quintum, & sextum, quorum verba sunt hæc sequuntur. Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari, assensendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam, se disponat, ac præparet, neque posse dissentire si velit, sed velut inanime, quoddam nihil omnino agere, mereque passivè se habere, anathema sit. Si quis liberum hominis arbitrium, post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, signum denique à Sathana inventum in Ecclesiis, anathema sit. Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita ut bona Deum operari, non permissivè solum, sed etiam propriè, & per se, adeo ut sit ejus proprium opus, non minus prodigium Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit. Sed opus est, ut advertatur objectionibus respondeamus. Primo nobis objicit, illud quod Christus apud Joannem, (cap. 15.) ait: *Sine me nihil potestis facere*. Quid est hoc nihil (inquit) quod sine Christo facit liberum arbitrium? Si dicas quod potest præparare per opera moraliter bona ad gratiam suscipiendam, mira est (inquit Lutherus) præparatio quæ per nihil fit. Respondeo quod nugacissimo sophismate agit rem suam Lutherus, qui toties sophistas irridet: quoniam juxta hunc modum argumentandi liceret etiam colligere, nullam causam etiam naturalem aliquid posse producere, cum constet nullam talem, sine Deo posse aliquid producere. Tunc quæram, quod est illud nihil, quod sine Deo potest facere? Et si ergo nulla creatura possit aliquid sine Deo, tamen inde licet colligere, ut non possit aliquid etiam cum Dei adjutorio: sicut gratia exempli, vir sine femina non potest generare, non tamen inde sequitur, ut etiam cum femina adjutorio generare non possit. Fatemur ergo Deum, sic adesse libero arbitrio, & reliquis omnibus causis, ut sine ejus adfuentia, & concausatione nihil agere valeant, quæ tamen cum ipsius adjutorio, proprios motus agere possunt. Liberum tamen arbitrium, ut bene agit, speciali quodam eget auxilio divino, sine quo est agere possit, non tamen bene. Et hoc est illud nihil, quod sine Deo, id est, sine ejus gratia nostram potest liberum arbitrium. Solemne est enim sacræ literis, ut ea quæ meritoria vitæ æternæ non sunt, nihil appellent. Sic tenim Paulus in priore ad Corinthios epistola, (cap. 7.) ait: *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei*. Et iterum: (cap. 13.) *Si habuerim prophetiam, & noviverim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*. Nihil ergo sine Deo possumus facere, quia sine ejus concausatione nulla creatura potest aliquid facere: quoniam etiam divisiones operationum sunt, idem tamen est Deus, qui operatur omnia in omnibus. Habita etiam hac generali Dei adfuentia, & concausatione, nihil, hoc est, nullum opus meritorium

potest facere liberum arbitrium sine speciali Dei auxilio, hoc est, sine gratia Dei, per quam, quis habet, ut possit vitam æternam mereri: juxta id quod Paulus ait: (Rom. 6.) *Gratia Dei vitæ æternæ*. Hac ergo gratia seclusa, est multa possit nostrum liberum arbitrium, cum Dei generali adjutorio, non tamen potest mereri, & ita nec fructum vitæ æternæ ex se producere. Et hoc est quod Salvatore dixit: (Joann. 15.) *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*. Quis est qui manet in Deo, nisi qui habet gratiam ejus? *Qui manet in charitate* (inquit Joannes 1. Joann. 4.) *in Deo manet*. Hic ergo sine in Deo manens, qui videlicet gratiam Dei habet, fer fructum multum, quoniam habet vitam æternam, quæ adeo multa est, ut omnia cætera quæ desiderari possunt, huic non valeant comparari. (Prov. 3.) Qui autem gratiam Dei non habet, non manet in Deo, & ideo non potest fructum vitæ æternæ, ex se sine radice gratiæ producere: quapropter tamquam palme infructuosa exciditur in morte, & in ignem inferni mittitur. Et hoc modo etiam intelligenda sunt alia multa in sacris literis. Scio Dominum (inquit Hieremias cap. 10.) *quia non est hominis via ejus, nec viri est, ut ambulet, & dirigat gressus suos*. Et Joannes Baptista dicebat: (Joann. 3.) *Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de Cælo*. Et Paulus Apostolus ait: (2. Cor. 3.) *Non quod sufficientes simus cogitare, aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. Et beatus Jacobus in sua canonica epistola, (cap. 1.) ait: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum*. Hæc enim omnia & alia similia, quæ plurima sunt, non tollunt arbitrii libertatem, sed ostendunt nostri arbitrii insufficientiam, quod sine Dei auxilio non potest aliquid facere. Quapropter circumspiciamus Paulus locutus est, quum dixit: *Non quod sufficientes simus, &c. & omnis sufficientia nostra ex Deo est*. Ut aperte ostenderet se non tollere libertatem, sed ejusdem libertatis sufficientiam. Secundo objicit nobis illud Salvatoris apud Joannem: (cap. 6.) *Nemo venit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum*. Per quæ verba (ut Lutherani ajunt) tota arbitrii libertas tollitur, quoniam liberum arbitrium trahitur à Deo, & sine hoc tractu ire ad eum non potest. Tractus autem violentiam quendam dicit: non est ergo arbitrium hominis liberum. Respondeo fallum esse quod assumunt, hunc videlicet tractum divinitus esse violentiam aliquam; quoniam non est aliud, quam vocatio quædam interna, & exhortatio, & monitio, qua monet, & movet voluntatem nostram ad bene operandum. Huic autem vocationi, & monitioni homo sæpe resistit inobediens exilens: ex quo convincitur talem vocationem non esse violentam. Nam & Dominus hanc hominum resistantiam accusat, dicens: (Prov. 1.) *Vocavi, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit qui aspicere. Desperastis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis*. Fatemur ergo patris per gratiam prævenientem quo secluso, nostrum arbitrium moveri non potest ad bonum operandum. Sed sic nos attrahens Deus, in nostra nos dimittit libertate, ut acquiescamus illi vocanti & monenti, aut obduremus eorum vocati, eum ejus vocem audierimus. Et in hoc est nostra libertas ad bonum, ut postquam Deus monuerit ad bonum, sit jam nobis liberum declinare ad id quod magis placebit, si bene bonum, si ve malum. Ante monitionem tamen est nobis potestas ad malum, sed non ad bonum. Quæ omnia multo diffusius, atque apertius docuimus supra in titulo De gratia, hæresi prima. Ad illum ergo locum mittimus lec-

torem: quoniam ibidem ostendimus concordiam gratiæ, & liberi arbitrii, quo pacto scilicet utrumque conveniat, ut unum non deroget alteri. Tertio objicit illud Pauli in epistola ad Romanos: (cap. 9.) *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*. Et iterum: *Ergo cui vult miseretur, & quem vult indurat*. Respondeo illa Pauli verba, solum esse accipienda de voluntate prædestinationis, & reprobationis divinæ, quoniam toto illius capitulo discursu de nulla alia re differit, quam de prædestinatione, & reprobatione divina. Dicit enim Paulus prædestinationem illam divinam, qua aliquos ab æterno præordinavit ad vitam æternam, non pendere ex nostris meritis, sed ex sola misericordia divina, quæ sine nostris meritis ad tam grande bonum nos elegit. Et idem sentit de reprobatione, ea videlicet, quæ non est ædus positivus reprobationis, sed sola privatio prædestinationis, qua non vult ordinare aliquem ad vitam æternam. Hæc inquam reprobatio etiam fit, sine nostris demeritis, sed per solam divinæ majestatis voluntatem, qua noluit hunc declinare ad gloriam. De qua re argui non potest, quia cum nulli Deus debeat, nulli etiam facit injuriam, cum non dat quod non debet. Quod si quis forte de hoc murmuraverit adversus Deum, & conqueratur, quod prædestinatus non fuerit, respondebit illi Dominus: (Matth. 20.) *Amice non facio tibi injuriam, tolle quod tuum est, & vade*. Alia autem reprobatio, quæ fit per ædus positivum voluntatis, per quam Deus aliquem ordinat ad penam æternam, nunquam fit sine demeritis: quoniam (ut ait Augustinus) nunquam Deus est ultor, quin prius aliquis sit peccator. Verum est, Deus absque ullis hominum meritis, & demeritis, quosdam prædestinat ad vitam, & quosdam non vult prædestinare, talis tamen prædestinatio, & reprobatio nullam infert necessitatem operibus nostris, nec tollit arbitrii potestatem, & libertatem. Nam post talem prædestinationem, & reprobationem, & electi, & reprobi libere agunt. Neque obstat, quod talis prædestinatio sit infallibilis, ut propter hoc nostrum arbitrium, juxta illam operari cogatur, quoniam qui prævidit finem prædestinatorum, videlicet gloriam æternam, prævidit etiam media, per quæ talis finis est acquirendus: opera scilicet bona, quæ cum Dei adjutorio illi tantum operantur. Ideo beatus Petrus admonet nos ad bona opera, ne videlicet nos eorum securus reddat diuina prædestinatio, sed potius, ut operemur, quo ipsius prædestinationis finem consequi mereamur. Sic enim ait: (2. Pet. 1.) *Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vocationem, & electionem faciatis*. Et Paulus, qui certo sciebat se esse prædestinatum, diligentissimus erat bonorum operum executor. Qui enim sciebat repositum sibi esse à Deo iusto iudice coronam justitiæ, castigabat corpus suum, & in servitute redigebat, ne forte cum aliis prædicasset, ipse reprobatus fieret. (2. Tim. 4.) Ex quo arguimento satis aperte convincitur prædestinationem divinam, nullam prorsus inferre necessitatem nostris operibus, aut in aliquo minuire nostri arbitrii libertatem. Alia autem argumenta, quoniam vetustiora sunt, omitto. Adversus hanc hæresim post illos vetulos auctores, quos supra recensuimus, scripsit Joannes Cochleus duos libros de libero arbitrio, adversus Philippum Melancthonem: Et Joannes Bechius adversus Lutherum de eadem re scripsit satis, ut solet, diffuse. Joannis Rossensis Episcopus in eo opere, quod contra Lutherum addidit, uno integro articulo, videlicet trigesimo sexto, de hac re disputat: Illa etiam, quæ nos supra in titulis De fato, De futuro contingenti, De gratia, dixi-

diximus, valde huic loco servare possunt.

Secunda heresis est, quæ docet hominem posse divinam gratiam deperditam, non posse aliud facere quam peccatum. Hujus heresis auctor est etiam Lutherus dicens, quod arbitrium hominis destitutum gratia Dei, quanto magis nititur tanto gravius peccat. Hæc heresis ex his quæ nunc proxime docuimus profertur: quoniam si hominis arbitrium esse & ex sua conditione liberum est, non potest per quodcumque adveniens peccatum suam libertatem amittere, & per consequens etiam cum in peccato fuerit, poterit, sicut peccare, ita & peccatum vitare, & bonum opus, quamvis non meritum, operari. Hoc etiam specialiter convincunt quædam testimonia ex illis quæ supra posuimus, ut est illud: (Joan. 1.) *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Nam hæc potestas, ut diximus, magis videtur esse collata peccatoribus quam iustis: quoniam iusti per gratiam quam habent, jam sunt filii Dei, nec est ejus opus ut iterum fiant filii Dei. Et illud Apocalypsis cap. 2. ubi de Jezabele Deus ait: *Dedit illi tempus ut poenitentiam ageret.* Frustra datur illi tempus, si illa poenitere non potest. Præterea frequentissimæ sunt in sacra scriptura monitiones, quibus peccatores exhortantur ad poenitentiam præteritum. *Convertimini,* inquit Dominus, (Ezec. 18.) *& agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Et per aliam Prophetam iterum ait: (Joel. 2.) *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Et ipsemet Salvator ait: (Math. 3.) *Agite poenitentiam, appropinquabit regnum celorum.* Frustra autem monentur ad poenitentiam peccatores, si nihil aliud quam peccare possunt. Hæc heresis damnata est in Concilio Tridentino sub Paulo tertio celebrato, quod inter multos quos sessione sexta addidit canones, septimum contra hæc heresim condidit in hac verborum forma. Si quis dixerit, opera omnia quæ ante justificationem fiunt, quæcumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur, se dissonare ad gratiam, tantum eum gravius peccare: anathema sit.

Tertia heresis docet liberum arbitrium post receptam baptismatis gratiam non posse amplius peccare. Hanc heresim primus docuit Jovinianus monachus. Illam etiam impingit Augustinus in libro de heresibus Pelagii. Sed de hac heresi jam supra disputavimus in titulo De gratia, heresi secunda: & ex his quæ nunc proxime adversus primam hujus tituli heresim diximus, satis aperte convincitur, quoniam sicut peccatum non tollit arbitrii libertatem, ita nec gratia, quoniam libertas est naturaliter inista humano arbitrio, ita ut per nullum superveniens accidentis tolli possit. Quo fit, ut sicut in peccato existens propter suæ libertatis potestatem poterat aliud peccatum vitare, ita in gratia existens propter eandem arbitrii libertatem possit aliqua in posterum peccata committere. Et ita factum esse, urgentissimis testimoniis comprobabimus supra in titulo De gratia, heresi secunda.

### L I N G U A.

Philaster in suo libro de heresibus censet esse heresim dicere quod ante Babel ædificationem fuerit solum una lingua: quoniam (ut ille ait) firmiter credendum est plures ante illud tempus fuisse linguas, quas tamen indito quodam à Deo spiritu omnes usque ad illud tempus calabant. Quod autem scriptura dicit, (Genes. 11.) *terram fuisse unius labii*, ideo dictum putat, quia & si plura es-

sent genera linguarum, omnes tamen se invicem intelligebant: quia (ut ait) omnibus erant omnes lingue noxæ. Ego autem ab hac Philasteri sententia tam longe absum, ut patem heresim esse quod ille docet. Nam scriptura facta tam aperte dicit unam tantum fuisse linguam, ut nihil manifestius dici possit. *Erant*, inquit, *terre labii unius.* Si varietas linguarum erat in terra, non dicebatur vere terram esse labii unius, quamvis quilibet homo omnes linguas sciret. Nam etsi Italus intelligat Hispanum, & Hispanus viceversa intelligat Italum, nullus tamen sanæ mentis negavit vanam esse illorum linguam. Nullus etiam dicit unam esse amborum linguam, cum sit cuique illorum propria lingua. Intelligentia siquidem linguarum non valet efficere ut duæ aut tres lingue una dicantur. Quo fit ut quamvis omnes se mutuo intelligerent, non possit dici terram fuisse unius labii, si varietas linguarum erat. Præterea illa linguarum varietas superflua erat, si omnium linguas omnes calabant. Lingua enim ad id solum inventa est, ut per illam nostros conceptus manifestemus: quoniam (ut beatus Augustinus decimoquinto libro de Trinitate ait): *verbum quod foris sonat, signum est ejus verbi quod intus latet.* Si ergo lingua una satis omnibus erat, ut suos quisque animi conceptus & affectus aliis innotescere faceret, quid opus erat tot superaddere linguas? Nunc autem post illud superbiæ peccatum quod in Babelis ædificatione monstratum est, non potest dici inanis & superflua hæc linguarum multitudo: quoniam ad retundendam illorum superbiam inducta est à Deo, & usque hodie ad nostram etiam reprimendam superbiam servata. Deinde scriptura facta dicit, tunc primum cum Babel ædificari cepit, confusum esse labium universæ terræ. Quid est dicere labium tunc primum esse confusum, nisi quod tunc est primo divisum, & multiplex variumque factum? Nam ubi unitas est, ibi confusio esse non potest: ubi autem multitudo, ibi est & confusio. Sed ante Babelis ædificationem non erat confusum labium universæ terræ: ergo ante illud tempus non erat varium aut multiplex, sed unicum dumtaxat. Rursum hæc nostram sententiam docent omnes sacri doctores qui de hac re scripserunt: neque unus est ex illis qui Philasteri sententia faveat. Beatus Augustinus in libro de mirabilibus sacre scripturæ capite nono, sic ait: *Cum ad illud usque tempus esset unius lingue cunctus populus universorum qui ad tale opus venerant, linguas in diversa verba divisit, scilicet ut rectissimo arbitrii iudicio, qui alto superbiæ tumore membra contemperat, in fragillissimæ substantiæ suæ modo sermone utique poenam sentiret. Et hoc non ipsis tantum patribus quod venerat, fiebat: sed per omnes filiorum propagines talis vindictæ conditio pertransibat: ut qui æternam sibi posteritatis famam quaererent, mansuram in illis posteritatibus ipsius præsumptionis per universa venturi sæculi tempora animadversionem invenirent.* Hæc tenus Augustinus. Ex quibus verbis id potissimum annotandum est, quod in principio dixit, linguas in diversa verba fuisse divitas, & non (ut Philaster ait) in diversam linguarum præexistendum notitiam. Eucherius Lugdunensis Episcopus libro secundo super Genesim capite septimo, ita ait: *Et ante tempore quando linguarum facta est varietas, in sola domo Heber quæ antea fuit, lingua remansit.* Eucherius. Ex quibus verbis aperte satis constat illum sentire unam solum tunc fuisse linguam, videlicet Hebraicam. Neque pro hac re opus est plura citare testimonia, sed unum solum, quod maximi est ponderis,

ris, proferam, nempe Sybillium. Nam Josephus libro primo Antiquitatum capite nono, hæc quæ sequuntur verba, Sibyllam dixisse refert. Cum omnes homines unius vocis existere, quidam turrim ædificaverunt excellens, tamquam ascensuri per eam in cælum. Dii vero immittebant ventos, everterunt turrim, & vocem propriam unicuique partium sunt: & propterea Babyloniam vocari conrigit civitatem. Hæc Sybilla. In quibus verbis annotare oportet quod dixit, vocem propriam unicuique esse partium: & non dixit esse unicuique datam propriam antiquæ vocis cognitionem. Firmiter ergo credendum est unam solum ante Babel ædificationem fuisse linguam. Philaster autem ex prava scripturæ intelligentia deceptus est. Nam antequam de hujus turris ædificatione scriptura loqui inciperet, cum septem filios Japheth per ordinem recenseret, hæc dixit: (Genes. 10.) *Ab his divisæ sunt insule gentium in regionibus suis, uniusquisque secundum linguam, & familias suas.* Quæ verba non intelligens Philaster esse per anticipationem dicta, putavit jam tunc fuisse plures linguas antequam Babel ædificaretur. Oportebat tamen illum meminisse sacre scripturæ morem esse aliqua per anticipationem narrare, ut scilicet antequam facta fuerint, quodammodo & perfunctorie narrentur, ut postea suo ordine res quæque gesta largius describeretur. Hæc enim una est & non minima ex Ticonii regulis pro sacre scripturæ intelligentia, quas beatus Augustinus in libro

De Doctrina Christiana impense laudat. Superius enim sacra scriptura per anticipationem dixerat unumquemque populum suam linguam habuisse, nec tamen dixerat quo pacto, sed pertransiit ad aliorum filiorum Noe progeniem describendam: deinde vero ad id quod omiserat rediens, narrat quomodo vel ob quam causam divisæ vel confusio linguarum multarum facta fuerit, & dicit: (Genes. 11.) *Erant autem terra labii unius, &c.* Et hunc esse verum litteræ sensum, docet beatus Augustinus lib. 16. de Civitate Dei, cap. 4. sic inquit: *Cum ergo in suis linguis istæ gentes fuisse referantur, redit tamen ad illud tempus, quando una lingua omnium fuit: & inde jam exponit quid acciderit ut linguarum diversitas nasceretur: Et erat, inquit, omnis terra labium unum, & vox una omnibus.* Hæc Augustinus. Et quidem pro hac re satis me dixisse arbitror, hoc solo contentus, si prius monuerim lectorem, ut animadvertat quam periculosum sit leviter de heresi pronuntiare. Nam Philaster vir aliqui doctus, & pro fide Catholica pugnavit, cum alios de heresi notat, ipse in errore labitur, assertionem vere Catholicam damnans. Nec miror: quoniam (ut est in Proverbio) bonus quandoque dormitat Homerus. Sed neque ipse Philaster (ut beatus Augustinus de illo refert) homo admodum doctus erat: propter quod in suis censuris facilius errare potuit.

### FINIS LIBRI NONI.

## F. ALFONSI DE CASTRO

### ZAMOREN. MINORITÆ.

## ADVERSUS HÆRESES.

### LIBER DECIMUS.

## MALUM ET MALITIA.



Juxta Aristotelis præceptum, omnem æquivocum prius est in sua diversa significata patiendum, & postea de eorum quolibet seorsum loquendum. Cum ergo hæc vox malum, aut hæc vox malitia, multa significet in sacris litteris, oportet ut prius quam de ejus significatis loquamur ostendamus multiplicem illius significationem. Est enim multiplex malum, & omne tale adventitium aut accidentale. Nam quod nulla res sit mala ex natura, jam supra contra impiam Manichæam Deo auctore evicimus, in titulo De Creatura, heresi secunda. Malum ergo quod accidit rei, duplex est. Nam quoddam est malum culpæ: aliud est malum pœnæ, quod mea sententia rectius dici posset damnum. Juxta hanc ergo mali partitionem etiam partibus sunt hereses quæ de malo loquuntur, nullas tamen. Prima ergo heresis dicit malum esse à Deo, & Deum facere mala. Hujus heresis auctor fuit Florinus quidam, à quo Floriani dicti sunt. Hic Florinus fuit tempore

Commodi Imperatoris, & Papa Eleutherii. Florinum in eodem errore imitatus est quidam alius nomine Blastus. Et adversus hos duos hereticos (ut testatur Eusebius Cæsariensis libro quinto historiae Ecclesiasticæ cap. 20.) scripsit beatus Iræneus: ad Blastum de schismate librum unum; ad Florinum de Monarchia, & quod Deus non sit auctor malorum, librum alium. Hunc eundem errorem postea suscitavit Seleucianus & Hermiani à Seleuco & Hermia auctoribus sic appellati. Hi dicebant malum aliquando esse à Deo, aliquando à materia. Hunc errorem aperitissime damnat ipse veritatis magister, dicens: (Math. 7.) *Non potest arbor bona fructus malos facere.* Aut ergo Deus bonus non est, aut mala producere non potest. At Deus bonus est, immo ille solus bonus est: quoniam ex se & se bonus est: ergo ille mala facere non potest. Præterea: Paulus Apostolus in ea quæ est ad Romanos epistola cap. 11. ait: *Si radix sancta, & rami.* At nullus vere potest dici sanctus nisi Deus, qui solus est sanctus, sicut & solus Dominus. Nam de hoc duo Seraphin clamabant al-

Hhhh

ter